



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Difficultas I. Quid definitivè Voluntarium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

est actio voluntatis deliberata: quia in modo agendi, deliberatio, est propria naturæ intellectualis, hinc autem agitur de actione, facta, modo proprio naturæ intellectuali: Nullus autem potest cogitari modus per prius proprius, & per prius secretivus à brutis, præter rationem, deliberatæ actionis.

RATIO 1. hujus explicationis est Auctoritas S. Thom. hic q. 1. a. 1. in corpore, qui quamvis inceperit explicationem actuum humanorum per formalitatem dominii, appellando illas actiones humanas, quarum homo dominus est. Sed hoc facit quasi incipiens à notioribus, concludendo autem & utendo particulâ Ergo, quæ est nota Conclusionis, sic loquitur; *Ille ergo actiones propriè humane dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt: Si quæ autem aliæ actiones homini conveniunt, dici quidem possunt hominis actiones, sed non propriè humane.*

RATIO 2. est. Communis apprehensio omnium, qui nomine actionis humane semper accipiunt actionem deliberatam. Hinc actiones brutorum, amentium, puerorum non vocantur humane: quia notitiæ illorum non sunt tales, ut eas sequentes actus, dicantur deliberati: per hocque actiones nostras communiter excludamus, quia erant indeliberatæ.

RATIO 3. est. Quia nulla commodior explicatio adferri potest. Non recurrimus hic ad formalitatem actionis, quæ competat homini, quia homo est: quia hæc generalitas, non distinguit actum humanum. Non recurritur ad dominium, nec ad liberum, nec ad laudem dignum, quia hæc omnia posteriora sunt. Et certè legitima est hæc Consequentia, est hæc actio libera. Ergo deliberata: nec ex libertate deliberati ratio, sed ex deliberato, liberum oritur.

Ne autem confundantur deliberatum & liberum, id est præ oculis habendum: quia quamvis non possit esse ullum liberum nisi deliberatum; formalitatibus tamen differunt: quæ sic explicari possunt; Deliberatum vel potest accipi pro deliberativo ut quo, & sic antecedentem importat actionem intellectus, utriusque propositivam. Secundò potest accipi pro deliberato, h. e. sequente deliberationem actu voluntatis: Et sub hac formalitate præcisè habetur ratio actus humani; in qua formalitate non stat ratio liberi, sed superaddit formalitatem hanc quòd potuerit non sequi.

Sed dicendum nè erit (posita hac explicatio) quòd amor beatus sit actio humana: ut concordetur pluribus Doctoribus id asserentibus, potest dici, quòd sit actio humana & deliberata æquivalenter: sicut enim deliberatio adhibetur ad penetrandam conditionem objecti, ita cum illam optimè tradat visio beata; dicendum erit amorem illum esse actionem humanam.

QUÆSTIO II.

Quid Voluntarium & Involuntarium?

Voluntarium accipitur tripliciter, pro voluntario subjectivo, & sic qualitates etiam violentæ receptæ in voluntate, dici possunt subjectivè voluntariæ: nec de hoc in præsentem quæstio. Item potest dici Voluntarium objectivè, hocque potius appellatur volitum, vel ut loquitur Scotus voluntatum. Denique accipitur pro voluntario effectivè & motive, hoc est pro motibus seu actionibus principiatæ voluntate: & de his in præsentem erit quæstio. Cæterum si etiam brutis concedatur ratio voluntarii, ut eis expressè concessit Arriaga hic d. 8. n. 9. idque ex eo, quia ad rationem voluntarii, requiritur aliqua cognitio finis, qualem illis in Physicis concessit: Cui etiam adhæsit Esparza hic q. 7. a. 7. & ad tertium concedendo brutis rationem voluntarii secundum quid: tunc jam deberemus de voluntario discurre, ita, ut statuatur ratio communis voluntarii tam brutis, quam hominibus: jamque tunc terminus hic voluntarium non deberet accipi ut sonat; quia ut sonat, indicat aliquid de linea voluntatis, & tamen voluntas tribuitur non nisi naturæ intellectuali: sed deberet accipi, prout supponit pro aliquo scilicet de linea appetitus, communi, sensitivis & spiritualibus noscitivis; ad eum modum, quo concordia dicta de Angelis, non accipitur pro eo quòd sonat; quia dicitur cordium unionem, quæ caret Angelis, sed pro eo pro quo supponit, h. e. conjunctione amoris.

DIFFICULTAS I.

Quid definitivè Voluntarium?

Revitatis causa partiri debemus præsentem Titulum. *Hinc sit*

Punctum Difficultatis I.

An Voluntarium idem sit quod volitum?

EXPLICANT I. Aliqui Recentiores Voluntarium, quorum tacito nomine meminit Vasq. d. 23. c. 1. Salaz etiam tribuit illam Dominico Montagnolio. Statque explicatio in hoc, quòd scil. Volitum & Voluntarium idem sit: quod ipsum Voluntarium dupliciter accipitur, vel pro eo quidquid voluntati alicujus placeat, adeoque in idem recidit cum Volito: Et sic complacenti in homicidio ab alio patrato, dicitur illud homicidium complacenti voluntarium; quia aliquo pacto volitum. Secundò accipitur Voluntarium, pro eo, quidquid est à voluntate tanquam effectus ejus: quæ ratione sunt voluntariæ omnes actiones voluntatis elicite: Imò & actiones aliarum potentiarum imperaræ

peratæ à voluntate. Quod ipsum Suarez hic
tr. 2. disp. 1. S. 1. sic enodat. Possumus in ipso
actu elicitio voluntatis, duas rationes ponere; al-
teram qualitatæ seu termini, alteram depen-
dentia seu actionis, videtur ergo dici posse ac-
tum ipsum, quatenus est qualitas quædam esse
Voluntarium, ab actione seu dependentia, per
quam manat à voluntate: ipsam verò actionem,
seipsa voluntariam esse, per immediatam habi-
tudinem ad ipsam voluntatem: Nam actus non
est à voluntate nisi mediante actione; actio ve-
ro immediate est à voluntate per seipsam. Ad-
de etiam ipsum actum, quatenus in facto esse in-
format voluntatem, & constituit illum volen-
tem, non tantum constituere illum volentem
objectum, sed etiam ipsummet actum per vir-
tualem reflexionem in illo inclusam. Quod si
ille actus ita est voluntarius, ut simul sit obje-
ctum, bene dici poterit actus ipse volitum quid,
eò quod actus ipse, ut actus est, intrinsecè inclu-
dat quod sit volitus: Neque intelligi potest vo-
luntatem constitui volentem, id est, voluntariè
tendentem in objectum, quin virtualiter velit
ipsam tendentiam. Idem salvari potest etiam
in actibus fugæ, qui non ita clarè videntur esse
voluntarii, eò quod illi licet possint esse directa
nolito objecti, possint tamen esse virtualis vo-
litionis sui ipsius. Et ita licet v. g. tristitia absolu-
tè, & simpliciter videatur involuntaria, tamen
supposito tali malo præsentem, est voluntaria: nam
voluntariè quis fugit sibi malum in hærens, etsi
absolutè nolit illud. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT 1. Quia multa sunt nobis
volita, hoc est appetita à nostra voluntate,
quæ non sunt nobis voluntaria; & sic volitum
est nobis objectum Deus; nemo tamen illum
appellat Voluntarium nobis.

Rursus, si ponatur hæc actio, quam appellat
dependentiam Suarez, ratione cuius dicatur
ipsa volitio volita, idque immutabiliter, id non
convincet: quia per nos actio productiva voli-
tionis identificatur ipsimet volitioni. Quod si
loquamur de distinctione quæ fiat per solam ra-
tionem, & conceptibilitatem, eam admittimus:
sed in præsentem non deberet attendi ad meras
conceptibilitates nostras: possunt enim repe-
ri Voluntarium & volitum sine ullâ nova for-
matione formalitatum, ut si sit actus voluntatis
qui dicitur, voluntarius, & objectum terminans
illum actum, quod objectum dicitur volitum:
Ergo apparet, rationem voluntarii & voliti, non
debere spectari penes illas formationes forma-
litarum.

NON SATISFACIT 2. Quia ut urget Vasq.
Actio illa quam vocat dependentiam Suar. non
est volitio: Ergo respectu illius, qualitas illa ten-
dens jam in objectum, non potest appellari vo-
lita, quid enim volitum sine volitione tendente
in illud? Ant. probatur. Productio amoris

non est amor. Item productio visionis non est
visio, nec productio intellectionis intellectio:
Ergo neque productio volitionis erit volitio re-
spectu sui termini, qui dicitur qualitas, nec ter-
minus seu qualitas respectu actionis productivæ
dicitur volitum.

RESPONDEBIS. Actio respectu etiam sui
est actio, unio etiam respectu sui ipsius est unio:
Ergo & volitio respectu sui est volitio, adeoque
non tantum erit voluntaria, sed & volita: & quia
nullus actus voluntatis est qui non sit volunta-
rius, nullus erit qui non sit volitus.

CONTRA est. Quia nisi ponatur proces-
sus in infinitum, Actio etiam respectu sui est ac-
tio: idem de aliis: tale autem absurdum non se-
quetur, si dicatur, volitionem respectu sui non
esse volitam: quod enim in hoc est absurdum?
& quomodo hinc sequeretur processus in infi-
nitum? quamvis non diceretur actio voluntatis
seu Voluntarium esse volitum.

Rursus habetur totum quod est necessarium
ut actio respectu sui sit v. g. actio. Quod ipsum
probat, quia illæ formæ quæ respectu aliorum
sunt formæ, tanquam respectu subjectorum, vel
terminorum, etiam respectu sui sunt formæ in-
transitive: cum enim sint formæ seipsis, non pos-
sunt seipsis esse sibi aliud, & aliud aliis à se: & ita
in Physicis realibus formis albedo est sibi albe-
do, & in formis modalibus, actio est sibi actio, in
formis metaphysicis rationalitas, est sibi ratio-
nalitas. Posita autem volitione non habetur
totum quod est necessarium, ut volitio respectu
sui sit volitio: quia ad hoc ut volitio sit volita, est
necessaria reflexa sive realis, sive rationis, in il-
lam tanquam terminum, tendentia: Sicut enim
quando appetit volitio objectum, est necessaria
tendentia realis in illud objectum: ita quando
volitio est volita, debet etiam poni sive realis, si-
ve rationis, in illam tendentia. Quia verò non
hoc ipso quia ponitur volitio, ponitur illius ten-
dentia in seipsam: experimur enim aliter nos ha-
bere cum tanquam objectum ipsam volitionem
habemus, fit ut non habeatur semper id quod
est requisitum, ut volitio, dicatur esse volita. Et
licet non possimus habere actum voluntatis,
quin illum percipiat noscitiva nostra: quia ta-
men illum percipit experiendo, non verò pro-
ponendo ut quid proximè volibile, fit ut non
hoc ipso quia ponitur illa volitio, sit illa tendens
in seipsam tanquam in objectum volitum, adeo-
que non hoc ipso erit quid volitum.

Ex ipsis Instantiis allatis sumitur adhuc ar-
gumentum: quia quamvis actio respectu etiam
sui sit actio, nihilominus respectu sui non est
terminus: ita etiam & volitio licet respectu ob-
jecti sit volitio, adeoque etiam respectu sui sit
hoc quod est, nihilominus respectu sui, non est
terminus volendi: quia ergo hoc quod est esse
volitum, est quasi terminus voluntatis, fit ut ex
hoc

hoc ipso, quod ponatur volitio, respectu sui volitio, non tamen respectu sui terminus, ut inquam non debeat dici, volita volitio.

Unde ulterius propositionis hujus: volitio est sibi ipsi volitio, dandi sunt duo sensus. Primus sensus est: volitio per respectum ad seipsam est sibi hoc, quod est in se, adeoque cum in se sit volitio, est intransitive sibi volitio. Et hæc propositio est vera, quia sicut albedo non potest esse sibi nigredo; Ita nec volitio potest esse sibi aliud, quam volitio. Secundus sensus hujus propositionis: volitio est sibi ipsi volitio, potest esse hic: volitio seipsam respicit tanquam terminum: & hæc propositio favet quidem explanationi, sed falsa est, si importet quod volitio respectu sui, semper se habeat per modum termini.

NON SATISFACIT 3. dicta explicatio. Quia vel dicit volitionem semper actu respectu sui esse volitam; & hæc propositio est falsa: oppositum enim in nobis experimur: vel dicit interdu volitionem esse volitam respectu sui, & sic vera quidem est propositio, sed non definitiva voluntarii, quia non convenit soli & semper voluntario.

Punctum Difficultatis 2.

Explicatur Voluntarium.

EXPLICAT 2. Aristoteles 3. Eth. c. 1. Voluntarium, ubi cum supposuisset se pro eodem accipere spontaneum ac voluntarium, sub nomine spontanei sic illud definit: *Cum igitur invitum sit*, inquit, *quod vel vi, vel ignorantia agit, spontaneum illud esse videbitur, cujus principium est in eo qui agit particularia cognoscente, in quibus actio consistit.*

EXPLICAT 3. S. Thomas quid sit Voluntarium hicq. 6. a. 1. in corpore tali discursu. „Quorundam actuum principium est in agente, seu in eo quod movetur, quorundam autem motuum vel actuum principium est extra: cum enim lapis movetur sursum principium hujus motionis est extra lapidem; sed cum movetur deorsum, principium hujus motionis est in ipso lapide. Eorum autem, quæ à principio intrinseco moventur, quædam movent seipsa, quædam autem non: cum enim omne agens seu motum agat seu moveatur propter finem; illa perfecte moventur à principio intrinseco, in quibus est aliquid intrinsecum principium non solum ut moveantur, sed ut moveantur in finem. Ad hoc autem quod fiat aliquid propter finem, requiritur cognitio finis aliqualis. Quodcumque igitur sic agit, vel movetur à principio intrinseco; quod habet aliquam notitiam finis, habet in seipso principium sui actus non solum ut agat, sed etiam ut agat propter finem. Quod autem nullam notitiam finis habet, et in eo

principium sit actionis & motus, non tamen ejus quod est agere vel moveri propter finem, est principium in seipso, sed in aliquo alio ei, principium motionis in finem imprimitur, &c. Quæ verò habent notitiam finis, dicuntur se ipsa movere: quia in eis est principium non solum ut agant, sed etiam ut agant propter finem: & ideo cum utrumque sit à principio intrinseco, scil. quod agant, & quod propter finem agant, horum motus & actus dicuntur voluntarii.

Hic totus discursus S. Thomæ & Doctrina Aristotelis sic breviter colligitur. *Voluntarium est id quod est à principio intrinseco cum cognitione finis.*

Quia verò monuimus supra, ita discurrendum esse de Voluntario, ut habeatur etiam brutorum ratio, perficiendum hoc in præsentia erit. Ut autem utriusque Auctoris mens innotescat, pensanda erit sigillatim uniuscujusque definitio, & difficultates circa illas expendendæ.

DEFINITIO Aristotelis stat in hoc: *Voluntarium seu spontaneum est illud, cujus principium est in eo, qui agit particularia cognoscente, in quibus actus consistit.* Dubitatur circa hujus definitionis sensum: cum enim sint tam multe formalitates in objecto attingibiles, quæ non attinguntur, & tamen actio potest esse voluntaria, quomodo voluntarium requirit particularium cognitionem.

PRIMUS SENSUS definitionis est quem sequitur Oviedo, quia scil. actus potest esse voluntarius respectu substantiæ objecti tantum, & potest esse voluntarius respectu circumstantiarum, quibus objectum vestitur, ut actus sit voluntarius respectu substantiæ objecti, sufficit substantiam cognosci: Si verò voluntarius sit futurus, respectu circumstantiarum, debent ipsæ circumstantiæ cognosci. Sed hic sensus

NON SATISFACIT. Quia cum diversum sit & attingere circumstantias, & non attingere, sed solum substantiam, & cum utroque hoc modo possit perfici voluntarium, debuisset dari ratio communis omnibus his, quæ non importatur per ly particularia cognoscente: quia ly particularia cognoscente videtur trahere & substantiam & circumstantias una cognitæ, omnia enim hæc particulatim cognosci possunt, & quod particulatim nosci debeant, verba Aristotelis volunt.

SECUNDUS SENSUS est. Quod hic definitur non nisi perfectissimum voluntarium, sive illud sit increatum, sive per communicationem notitiæ singulorum, creatum, jam autem ex proportionem definiri debent aliqua voluntaria, ad eum modum, quo definiendo quod scientia sit notitia omnium noscibilium certa & evidens, definitur omnis scientia Divina, & ex proportionem etiam alii scientiæ actus & sicut alii scientiæ abscondunt sibi particulam notitiæ certæ, &

evidens.

evidentis licet non omnium: sic & voluntarium abscindet sibi particulam notitiæ ejus, in quo est actus, licet non notitiæ singula attingentis. *Hic sensus*

NON SATISFACIT. Quia detorquet verba Aristotelis, aliamque planè definitionem ponit. Nam non vult particularia semper cognoscere, ut sit voluntarium: cum tamen hoc exigit Aristotelica definitio.

TERTIUS SENSUS sit. *Ly particularia* potest comparari vel ad numerum formalitatum in objecto contentarum, & sic non debet esse in omni voluntario notitia particularia cognoscens: sunt enim & nimis multa, & non raro innotabilia nobis. Deinde præcognitis pluribus circumstantiis, potest aliquis non nisi unam eligere, in illamque tendere, ita ut non nisi respectu illius unius circumstantiæ, sit actus voluntarius, interposita quasi refutatione, & rejectione aliorum particularium, quomodo ergo ad voluntarium particularia cognoscere requireretur? Deinde *ly particularia* accipi potest comparative ad appetitum: ita ut arithmetice sibi respondeant, id quod est actus seu circa quod versatur appetitus, & illud *particularia cognoscere*: idque ita, ut tot dicantur appeti quot erant præcognita, hoc sensu, quod nullum scilicet ex appetitis fuerit, quod non fuerit præcognitum; & sic licet particularia sint numero decem in objecto attingibilia si appetuntur septem, præsupponi debent particularia septem præcognita, ita ut non sit necesse attingere reliqua tria, si illa non appetuntur. Unde ulterius illa verba *in quibus est actus*, non ita sunt accipienda quasi objectum voluntarii, debeat esse actus, cum multa voluntaria non habeant pro objecto actum, sed facit hunc sensum, *in quibus*, hoc est, *circa quæ versatur appetitus*. Non utitur autem termino *circa quæ* Aristot. sed *in quibus*, ob affectatam obscuritatem, vel ad innuendum objectum illud habere rationem finis, vel quasi finis, cui convenit significando, particula potius *in*, quam particula *circa*; quæ ad objectum potius vergit, quantumvis etiam hoc modo exprimi poterit. Et hæc circa mentem Aristotelis.

DEFINITIO S. Thomæ, ut dixi, stat in hoc; *Voluntarium est id, quod est à principio intrinseco cum cognitione finis*. Hæc definitio in hoc habet difficultatem. Quia hic quæritur de voluntario latissimè, adeoque prout competit etiam brutis, quibus saltem perfectam cognitionem finis negamus, & tamen in definitione voluntarii ex S. Thoma concepta, ponitur cognitio finis sine addito. *Hujus Definitionis*

PRIMUS SENSUS est. Quem ponit Cardin. Pallavicinus d. 1. q. 1. a. 2. Nihil nos posse scire de principio operationum in aliis agentibus, nisi dependenter ab eo quod experimur in nobis. Trium autem sunt genera effectuum, quos videmus ex nostra entitate prodire. Aliqui pro-

deunt nobis nescientibus, & incogitantibus, ut concoctio, nutritio, &c. Quare dum videmus similes effectus in plantis, arguimus pariter in illis nescientibus, produci ejusmodi effectus. Aliæ sunt nostræ operationes, quæ fiunt cum cognitione, & etiam cum aliquo appetitu, sed sine electione & sine discursu, cujusmodi sunt quæ fiunt ab infantibus, ebriis, & à nobis in primo primis motibus, & ita famelicus objecto cibo, necessariò concipit appetitum illius, nisi aliunde illum restringat. Hinc inferimus quæ tali modo operantur, operari quidem cum aliqua cognitione, & cum aliquo appetitu elicitò, sed sine electione, & sine illa cognitione superiori, in qua consistit perfecta ponderatio boni. Tertium est genus operationum, quas ipsi non exercemus sine deliberatione, & discursu perfecto, ut disputare, pingere. Et ex ejusmodi operationibus, arguimus pariter in illarum auctore deliberationem, & discursum, nec unquam suspicamur eas prodixisse ex impulsu mero naturæ, hisque data vox, manus, tanquam specialia instrumenta. *Hic sensus*

NON SATISFACIT. Tum quia, cur hoc, quod est pingere, texere notat in nobis discursum perfectum, electionem, & cætera similia: & hoc quod est conficere nidum tali textrinâ, commoditate incubandi, &c. non arguet in avibus discursum? cur in apibus constructio talis cratium cercarum, portarum &c. non arguit discursum? & tamen si easdem portas, & crates fabricaret artifex, argueretur discursus. Tum, quia quærere adhuc restabit, cur tertii generis operationes illis non convenient, quamvis suos discursus & electiones non prodant voce vel usu manûs? Tum, quia manifestandæ electionis & discursus non est unum statum & necessarium signum: hinc quamvis ea signa non haberent animalia, quæ habent homines, cur alia quæ faciunt, discursum in illis non indicabunt?

SECUNDUS SENSUS est, quem ponit Esparza hic q. 7. a. 2. Dupliciter posse recognosci finem: Primò imperfectè & materialiter, ita ut solum apprehendantur res, quæ habent rationem finis, non exprimendo conceptum formalem finis, factâ comparatione ipsius cum mediis & expensâ mutuâ eorum inter se proportionem. Secundò perfectè potest cognosci finis, ita ut exprimat conceptus ejus formalis, factâ comparatione ipsius cum mediis. Illud primum, est commune homini cum brutis, quatenus operanti perfectè, ex prima apprehensione, boni convenientis. Secundum, est proprium hominis rationaliter ac deliberatè operantis, utentisque potentiâ sibi peculiari comparandi objecta inter se per judicium & deliberationem. Quod ipsum etiam docuerat Pallavicinus. Nam loco cit. docet, quod non possint bruta ratiocinationem perfectam facere, fundatam in Dicto de omni & Dicto de nullo: quia nequeunt concipere

cipere hæc universalia Omne & Nullum, utpote præcisa à circumstantiis loci & temporis, à quibus non possunt præscindere sensus, imaginatio, & memoria sensitiva. *Hic etiam sensus*

NON SATISFACIT. Tum quia de hoc ipso quæritur; cur bruta non faciant comparationem finis cum mediis? Tum quia, si Paulus crates cereas faceret, quales apes faciunt, argueretur in Paulo discursus, & comparatio finis ad media, & cur in apibus non argueretur? Tum quia, sit bene quod bruta non cognoscant ly omne, & ly nullum, non possintque formare syllogismum ex universalibus: cur non poterunt formare expositorium, præcipue si ille dicatur inniti non tam allatis principiis, quam pure illi, quæ sunt eadem uni terro, &c. Tum quia, quando vestigat canis feram, & non reperit vestigium, cur non facit hanc propositionem, nulla fera hæc transit, & cur ex memorativa viarum, quas tentabat ad egressum non potest dicere, omnia hæc non dant mihi locum effugii, quod videtur vel ille ipse ejulatus indicare, testarique, cum tandem advertit, se non posse evadere. Quod autem dicit Pallavicinus in hoc esse disparitatem: quia belluæ operantur ex instinctu, & statim natæ, exercent prædicta opera: homines autem non nisi post aliquam experientiam & inductionem comparant artes. Id etiam non convincit: Nam Angelus si creatus exemplo conficeret crates cereas, diceretur facere id ex comparatione mediorum ad finem: cur ergo idem de apibus non dicitur? & cum operari ex instinctu supponat vel dicat notitiam, cur illa notitia non erit discursus? Quodque citius secundum naturam suam bene operentur potius parvuli belluarum, quam hominum, referri in hoc potest, quia citius habent provisa à natura complementa operandi: non verò in hoc, quod non operentur circa finem formaliter.

TERTIUS SENSUS est. Vel potius evasio difficultatis. Non ponendo in definitione voluntarii hunc terminum *Finis*. Sic non nisi eam concipiendo. *Voluntarium est id quod est à principio intrinseco cum cognitione*, defendique hic sensus potest, præcipue cum etiam Suarez cit. D. 1. S. 1. n. 3. Oviedo Tr. 2. contr. 2. n. 2. omitant etiam ly *finis*.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones, concluditurque.

SECUNDUM allatos definitionum ultimo loco sensus, possunt bene defendi prædictæ definitiones Aristotelica & S. Thomæ: conveniunt enim omni, soli & semper Voluntario, coinciduntque si expendantur.

Arriaga rejicit Aristotelis definitionem, expendenda sunt illius argumenta.

DICES I. cum Arriaga. Ab Aristotele videtur præcisè definita actio externa, quando ex perfecta cognitione à nobis procedit: requirit enim Aristoteles, ut cognoscantur singula in quibus est actus; hoc autem non habet locum, quando sine ulla actione externa, efficio amorem Dei: neque enim talis reflexio est necessaria, &c.

RESPONDETUR. Posito quod hic definitur non nisi actus externus, retorqueri potest argumentum, quomodo singula tunc noscantur, cum sint tot formalitates, quæ tunc non attinguntur, & aliquæ non attingi possunt? & quod respondebit arguens ad retorsionem, idem nos dicemus. Directè autem dici potest, quod sit necessarium singula cognoscere non comparativè ad numerum formalitatum attingibilium, sed eo, ut dictum superius sensu, ne ex appetitis ullum sit, quod non sit præcognitum, quamvis possit esse præcognitum & non appetitum.

DICES secundò cum Eodem. Ex vi doctrinæ Aristotelis, sequi, omne iudicium in nobis esse voluntarium; quod tamen à nullo conceditur: quia iudicium omne est à principio intrinseco cognoscente singula, non minùs quam amor, sit à cognitione singulorum.

RESPONDETUR. Negando sequelam. Negando item omne iudicium esse in sensu Aristotelico à principio &c. quia licet omne iudicium ex eo quod sit actio vitalis, sit à principio intrinseco: quia tamen non versatur circa finem quæ volubilem, seu circa bonum formaliter, nec est actus talis, qualis sumitur in præsupposita materiâ, nempe appetitus, sit ut non sit actus, qui sit circa singula, in quibus est actus.

INSTAT I. Arriaga. Ipsa definitio non dicit voluntarium esse, quod ex cognitione feratur circa finem.

RESPONDETUR. Hoc quidem clarè non importare verba Aristotelis, importare tamen secundum sensum allatum, qui licet excuset Aristotelem; meretur tamen ob receptam suam doctrinam talem explicationem, datque ex supra dictis talis explicationis & sensus fundamentum.

INSTAT 2. Quomodo cumque explicetur hæc definitio, in ea tamen explicabitur idem per idem: tota enim difficultas manet circa ly *finis*: ea enim est loco ultimæ differentiæ, inter actus voluntatis & intellectus: nihil autem penitus per illam explicatur, nisi recurrendo ad eosdem terminos, hoc modo; finis est quod terminat actum voluntarium; voluntarium est quod terminatur in finem: quod ipsum ulterius in hoc fundatur, quod non possit ex parte objecti ostendi formalitas aliqua, quæ sit objectum voluntatis per modum finis, & non sit objectum intellectus, qui ipsam rationem finis, debet cognoscere.

RESPON-

RESPONDETUR. Inprimis retorquendo Argumentum, & inquirendo, quæ sit definitio patris? Respondebitur, pater est is qui habet filium. Rursus quæ est definitio filii? Respondebitur, filius est qui habet patrem. En responsiones duas idem per idem explicantes? Quod si recurratur ad hoc, quod relativa ad invicem se notificent, dicam & ego Voluntarium cum fine, relativa esse. Quod si dicas, cui esset ignotus æque pater ac filius deberet recurrere ad alia principia, v. g. inductionem explicationemque terminorum; tunc dicam in præsentem idem fieri debere. Deinde Finis est cuius gratia; hinc si dicatur, voluntarium esse propter finem; sensus erit, quod voluntarium sit id, cuius gratia reliqua appetuntur, & quæruntur tanquam media: voluntarium autem habebit se ut tendentia; finis ut terminus. Quod si quæratur de distinctione intellectus & actus volitionis: hæc debet ex Animalisticis nota esse, omnesque Philosophi apprehendunt intentionem & electionem actus voluntatis esse, non intellectus. Quamvis autem nulla sit formalitas, quæ sit obiectum voluntatis, & non intellectus in hoc sensu, quia nihil esse potest volitum nisi cognitum: nihilominus in modo se habendi circa illud, differunt; rationemque boni quæ bonum est, sub hac reduplicatione pro formali, respicit voluntas, pro materiali autem intellectus, qui respicit bonum quæ bonum, ulterius restringendo secundum quod intelligibile est: & è converso intelligibile, formalitans obiectum intellectus, pro materiali non nisi, respicit voluntas.

Dices 3, cum Eodem. Sub dicta definitione non comprehenduntur omnia, quæ simpliciter dicuntur voluntaria: Deo enim tribuitur voluntarium. Unde dicitur, voluntariè nos genuit, &c. & tamen actus Dei non est id, quod procedit ab intrinseco cum cognitione.

RESPONDETUR. Defendendo doctrinam quam sibi impugnandam proposuit Arriaga, quod scilicet actus Divinus non sit quidem per productionem realem, sed per productionem ab intrinseco per identitatem, quamvis hos duos terminos ipse distinguat.

INSTAT I. Arriaga. Esse ab intrinseco, ut abstrahit ab esse per productionem, & per identitatem, nihil penitus dicit de vera processione seu productione ab intrinseco; sicut animal ut sit, nihil dicit de rationalitate; & sicut qui ex eo quod leo & equus conveniant in animalitate, vellet inferre eos convenire in rationalitate, in præmissis inferret: Ergo cum esse ab intrinseco, solum dicat non esse rem extrinsecam, in quo plura conveniunt, ut gratia, & accidentia unita, & tamen à nobis non producta, sit ut illos actus Divinos quamvis sint ab intrinseco, non sit necesse dicere productos.

RESPONDETUR. Distinctas has esse propositiones, est aliquid intrinsecum, & est aliquid

ab intrinseco: esse intrinsecum convenit pluribus etiam non productis ab eo cui sunt intrinseca, qualis est v. g. gratia. Unde ex eo quod aliquid sit intrinsecum non potest inferri quod sit productum etiam per identitatem, sed particula AB infert productionem; & licet esse ab intrinseco, sit quid commune tam productis per productionem simpliciter, quam productis per identitatem; & licet ex illo termino esse ab intrinseco, non possit inferri determinatè productio per identitatem vel potius per productionem simpliciter, sufficit nonnisi sub disjunctione membrum inferri, v. g. est ab intrinseco, ergo vel per productionem realem, vel per productionem per identitatem: Sicut bene inferitur est animal, ergo vel rationale, vel irrationale.

INSTAT 2. Productio per identitatem implicat in terminis: quia productio maximè requirit distinctionem.

RESPONDETUR. Quod productio realis requirat distinctionem realem, sed non productio ut sic: nam etiam essentia producit sua attributa, & idem se potest secundo producere divinitus, sine distinctione reali.

Commodius his terminis toti huic objectioni responderetur. Quod scilicet Divini actus voluntarii procedant æquivalenter ab intrinseco, quamvis non realiter; non realiter quidem, quia sine ulla distinctione reali, sed æquivalenter & præcisè imperfectionibus. Possumus enim ut in simili dictum in prima parte ponere in Deo actum primum volendi, & ex hoc procedere ratione nostra actum secundum, cui præluet notitia intellectiva. Alii dicunt productionem ab intrinseco solum denotare vitalitatem actus, quorum immanentia, bene potest stare in Deo, sine physica productione. Quando autem alii urgent, quod producantur in nobis habitus, idque ab intrinseco, cumque cognitione objecti talis habitus, & tamen nobis productio illa non sit voluntaria, id etiam non convincit: quia illa productio non est actus appetitus, sequentis præluentem notitiam; & tamen voluntarium, est de linea appetitus.

Denique eidem objectioni satisfieri potest, inquirendo: Quo sensu dicat actus Deo esse vitales, adeoque ab intrinseco? quæ Responsio simul ostendet, quomodo comperat Deo voluntarium definitum per productionem ab intrinseco. Ad salvandum difficultates propositas, posset etiam dici quod actus vitalis debeat esse quidem ab intrinseco, sed non debet esse productus, ita ut produci competat nonnisi actui creato: in definitione autem voluntarii positum est, nonnisi ly ab intrinseco.

Sub finem horum omnium annotanda sunt aliqua. Quomodo scilicet anima rationalis suas operationes advertat discerni & condistingui ab ope-

P.
MŁOD
OWSKI
A. E. Z.
VI

ab operationibus brutorum: ex quo etiam inferretur, quare rigorose propter finem non agant bruta. *Circa quod*

NOTA 1. Nihil facilius esse, quam ad potentias, externorum objectorum activas, noscendo devenire. Et sic obvium est, ut advertat homo ad potentiam ambulativam movendopedes, ad visivam videndo & similia. Sed ut advertat ad potentias internas, quæ sunt noscitivæ & appetitivæ, indiget reflexione supra id, quod intus in se experitur anima: Advertitque quod habeat quasdam potentias quæ objectum statuunt intra, hæque potentiae sunt noscitivæ: Experitur item motus aliquos internos, qui non statuunt objectum, sed afficiunt, adligant, vel remouent ab objecto. Reflexat se homo ad differentiam quam experitur inter noscere Petrum, & amare Petrum: nam experitur noscere quidem se Petrum dum amat, amorem tamen ipsum præcisè, afficere non nisi, & nihil repræsentare; talisque actus principiatiua potentia, vocatur appetitiva. Prior illa, vocatur: Lumen rationis; Secunda, vocatur: Potentia cæca, cum enim prædicata non efformet, nihil manifestat, adeoque & ipsa nihil videt, cæcaque vocatur.

NOTA 2. Iteratò redire animam ad seipsam, tanquam id, quod est comparabile cum aliis, videtque aliqua exteriora; in quibus nullum est signum notitiæ, nullum signum appetitus; quales sunt lapides. Et alia videt quæ noscunt & amant; sicut mater bruti & noscit & amat brutum. Hinc incipit dubitare anima, an non æqualis sit noscitiva brutorum, & appetitiva, cum sua.

NOTA 3. Considerare animam repetitò, modos in seipsa reperibiles, quibus procedit sua illuminativa, & sua cæca potentia. Inprimis advertit in se formalitatem simplicem noscendi, videt illam in brutis: Advertit rursus formalitatem quæ est post notius, noscere ignotius, advertitque hanc formalitatem in brutis: nam notius est cani, panem cum butyro lapidum esse, quam quod sit, ita vestiganti sibi, dandus, infertque quod per hoc præcisè, sua noscitiva à noscitivâ bruti, non differat.

Penitius iterum scrutatur modos suos noscendi, & advertit dupliciter posse ferri noscivum in ignotius post notius; ita ut habeat meram rationem sequentis & comitantis. Rursus potest ferri in ignotius post notius, ut educatur notitia ignotioris, ex illo notiori, advertaturque ad connexionem, proportionem, jusque copulationis, horum duorum inter se.

Hos ipsos modos comparat inter se intellectus, videtque hunc secundum modum perfectionem esse primo: quia hic secundus, præsupponit primum, & tamen non est idem cum illo: cumque hic secundus modus non arguat imperfectionem, videatque illum extrahi à gradu

prioris modi, bene infert extrahi illum additione perfectionis: ut homo extrahitur à gradu animalis, additione perfectionis, quæ est rationalitas.

Habet anima & aliud fundamentum dicendi, quod hic secundus modus, sit perfectior; quia ipsamet anima, habet difficultatem advertendi, ad tales connexiones, deducendi, quæ, quod hoc, ex hoc sequatur: Hinc rudis Logicæ, experiuntur difficultatem in attendendo ad bonitatem illationis, educendæque Conclusionis ex Præmissis; ita ut facilitas educendæ, etiam in homine, majorem perfectionem importet; infertque perfectionem talis modi noscendi, ipsa difficultate probari: nam perfectiora difficius & rarius inveniuntur: hinc plures sunt futores, quam horologiopægi. Habet & aliud fundamentum pro perfectione talis notitiæ: quia scilicet notitia sub sensum cadentium non ita est perfecta, sicut est non cadentium sub sensum: jam autem illa connexio, sensibile quid non est.

Rursus demonstrat sibi supponamus animam suam immortalitatem, vel ex principis Philosophicis, vel ex moralibus ut scilicet afflicti v. g. totâ vitâ boni, præmium recipiant, & felices totâ vitâ mali, penam; vel habeat hoc persuasum inditâ à naturâ persuasionem, quæ movet, ut cadavera mortuorum hominum horreamus; non horreamus Leonum, aliorumque animalium; saltemque hoc de fide habeat. Hinc disquiret anima, ut tribuat sibi operationem quam maxime immortaliter convenientem; & cum non videat in se nisi duplices operationes, quasdam post notius ignota attingentes, & quasdam educentes unum de alio, habet fundamentum tribuendi has posteriores sibi non nisi. Experitur item in se notitias abstractas animalis ut sic, entis ut sic &c. & alias notitias particularium, ex quibus postea educuntur notitiæ universales, ut dictum in materia de fabricatione universalis, comparat hos duos modos inter se, videtque priorem h. e. universalium, esse perfectiorem, illumque experiendo in se, tribuit sibi.

His positis probationibus, quibus probat sibi animam educitivam illam cognitionem, connexionisque observativam, esse perfectiorem. Vestigat an sit aliquod signum, quod etiam brutæ, tales connexiones noscant; ex unaque parte videndo nullum esse signum in illis talis notitiæ; ex alia parte advertendo, quod sicut non sunt multiplicanda entia sine necessitate; ita nec dignificanda; cumque reliqua omnia in brutis possint salvari per meram sequelam notitiarum concludit, sibi hoc, non brutis tribuendum nam oppositum esset fingere, cum tales notitias nec experientia, non demonstratio in brutis ponat.

Ex his

INFERES 1. Bruta operari propter finem: hoc enim multa brutorum opera indicant. Sed non operari propriè circa finem, quia non modo rationali naturæ proprio, qui modus stat in operatione.

ratione ex præcisa connexione finis cum mediis, mediorumque cum fine, proportionem. Et cum adhibito mediorum in illis, sufficit, ut se habeat per meram sequelam, post appetitionem eius quod finis est, adeoque appetendo quod finis est, non quia finis est, fit, ut non operentur propter finem formaliter.

INFERES 2. Brutis convenire Voluntarium, hoc est appetitivum: quia convenit illis operatio ab intrinseco cum cognitione finis materialiter, seu improprie sumpti; ex dataque explicatione poterit tota definitio S. Thomæ defendi.

Qui autem Voluntarium vellet minus subiacentibus verbis oppugnationi definire, diceret, quod Voluntarium sit appetitus, tendens in obiectum, notitiâ propoliticum.

INFERES 3. Voluntarium distingui formalitate ab actu humano: quia Voluntarium ut sic, etiam brutis convenit, non convenit actus humanus. Rursus, quia Voluntarium rigorose acceptum, importat formalitatem procedentem ex vi connexionis, & dependentiæ inter finem & media; actus autem humanus, importat formalitatem sequentis post deliberationem. Quod attinet ad spontaneum, illud coincidet cum voluntario, ut sonant Aristotelis verba; formalitibus tamen differunt. Nam spontaneum afficit iam ipsum Voluntarium, opponiturque co-actio potius, & non Involuntario. Unde spontaneum addit supra Voluntarium negationem coacti, vel si mavis dicere per terminos positivos importat formalitatem appetendi, ex propria inclinatione.

DIFFICULTAS II.

Explicantur divisiones Voluntarii.

Preter divisionem in Voluntarium obiectivè, subjectivè, elicitive, supersunt alia divisiones.

Punctum Difficultatis I.

Expediuntur aliquæ Divisiones.

Voluntarium dividitur imprimis in Voluntarium perfectum & imperfectum. Perfectum Voluntarium est, quod procedit ex perfecta cognitione finis: Imperfectum autem est, quod procedit ex imperfecta notitia finis. Perfecta notitia solet explicari per hoc, quod est attendere ad finem, quia finis est, attenta mente, & cum deliberatione de mediis, attendendo ad proportionem & connexionem cum fine quâ talis imperfecte autem noscitur, quando cognito obiecto sine deliberatione, & inattentè, promittit appetitus in suum actum.

Dividitur rursus Voluntarium, in Voluntarium liberum & necessarium. Liberum voluntarium est, quod positum omnibus prærequisitis

potest esse & non esse; Necessarium autem est, quod positum omnibus prærequisitis, non potest non esse.

Hanc divisionem esse subiecti in accidentia dicit Arriaga hic d. 8. à n. 13. Præcipuum fundamentum est, quia nimirum necessitas & libertas accidunt volitioni, eò quod eadem volitio ex necessaria, possit esse libera.

Sed esse hanc divisionem generis in species docet Vasquez: quamvis enim accedat volitioni ut volitio est, esse liberam vel necessariam; non tamen illi accidit ut voluntaria est: quia ut voluntaria est, procedit à cognitione; procedens autem à cognitione, bene dividitur in procedentem à cognitione determinatam, & sic est voluntarium necessarium, & à cognitione indifferenti, & sic est Voluntarium liberum.

Quod ipsum sic declarari solet: quia sicut accidit Leoni creari, vel generari, neque est divisio in species in Leonem genitum, & creatum; nihilominus si attendatur ad formalitatem producti, divisio in Leonem productum creatione, & productum generatione, erit in species; & sicut divisio hominis in album & nigrum sub formalitate hominis non est divisio in species, si autem homo fumatur in quantum coloratus, prædicta divisio erit in species, sic & in præsentem.

Examinat etiam Arriaga cit. à num. 26. An sit perfectius Voluntarium liberum, an necessarium? Pro libero stat Vasq. & Salaz. Pro necessario Suar. & Granado. Alii mediam viam tentarunt cum Arriaga n. 30. & Gasp. Hurt. apud Ovied. cont. l. n. 46.

Dici posset quod Voluntarium liberum sub formalitate voluntarii, sit perfectius necessario: quia magis est ab intrinseco: nam ipsa eius determinatio, pendet à voluntate: determinatio autem actus necessarii, est ab extrinseco. Accipitur autem hæc majoritas perfectionis secundum rationes communes & præcise spectatas: Nam secundum rationes contractas & prout sunt physice, à parte rei bene poterit æqualis esse perfectionis liberum & necessarium, ut videre est in Deo; imo erunt æqualis perfectionis etiam in creatis, si præcise secundum perfectionem præcise ab eodem principio oriundam spectentur. Neque obest dictæ resolutioni, quod interdum actus necessarius præsupponat perfectiorem notitiam, sicut amor beatificus præsupponit visionem: fieri enim potest ut cognitio sit perfectior in se; non tamen principiet perfectius voluntarium in ratione voluntarii: quia sicut Voluntarium est ab intrinseco, ita perfectissimum Voluntarium debet esse perfectissime ab intrinseco; non est autem perfectissime ab intrinseco, si aliunde determinatur.

Si autem spectetur Voluntarium necessarium & liberum præcise in ratione terminabilis ad obiectum; sub disjunctione responderi solet, vel

1 2 enim